



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXXVIII. Peccatum mortale onus admodum graue, sarcinamque ponderosissimam animæ esse, quæ impedit eam, quo minus cor ad Deu[m], & res cœlestes eleuet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Peccatum mortale onus admodum graue,
sarcinamq; ponderosissimam anima esse,
qua impedit eam, quò minus cor ad
Deum, & res caelestes
eleuet.

C A P. XXXVIII.

A Mor, vt dicit S. Augustinus, a ani-
ma pondus est, & quò hoc pondus
eam inclinât, illuc ipsa fertur: & sic
quando anima hunc amorem in Deo,
bonisque caelestibus ponit, amor fan-
ctus, ac purus est, eamque ad Deum
eleuat, vt ipsum cogitet, ipsum sapiat,
ipso se oblectet, & cum ipso conuerse-
tur; eam denique ad bona caelestia
subleuat, vt illa contempletur, valde-
que ex corde desideret, illa ingenti
cum fiducia speret, & propter illa di-
ligentissime laboret. Quemadmodum
alæ auis, licet pondus sint, tamen auem
non grauant, quin leuem faciunt ad
ascendendum, & coelum versus euo-
landum; sic sanctus, & diuinus amor,
T 4 licet

a D. Aug. l. ii. de ciu. 6. 28.

licet animæ pondus sit, eam tamen non grauat, nec terram versus deprimit, sed potius valdè velocem, leuemque reddit ad eleuandam se in Deum, & in cœlum ascendendū. Amor enim portat animam ad rem, quam amat, vt eam cum ipsâ vniat; ideoque cum hic sanctus amor Dei, & cœli sit, facit animam ad Deum, & res cœlestes ascendere. Ita S. Augustinus, *a Amor sanctus, inquit, ad superna eleuat. & ad aeterna inflammat. & ad ea, que non transeunt, neque moriuntur, excitat animam, facitque, vt ea volitet pennis quibusdam pulcherrimis, quibus se rapit in Dei complexum.* Atque hoc pacto moti, inflammatique amore Dei, exequimur, quod S. Paulus in personâ verorum Fidelium, Christi que discipulorum ait: *b Nostra conuersatio in cœlis est:* Id est, vsus, & commercium nostrum est in cœlis; illuc intellectum dirigimus, res æternas contemplando; illuc dirigimus affectum,

a D. August. in Ps. 121. l. de mor. Eccl. c. 22.

b Ad Philip. 3. 20.

atum, desiderando, amandoque res
coelestes; & hinc vita nostra coelestis
est ad imitationem habitatorum coeli.
Ita se res habet, quando anima amo-
rem suum in Deo, & in coelestibus bo-
nis collocat: sed quando eum ponit in
rebus terrenis, & in mundanis volu-
ptatibus, pro fine suo ultimo illas ha-
bens, tunc amor malus, & viciosus est,
peccatum mortale est, & grauissimum
animæ pondus, quo ipsam opprimit,
affligit, aggrauat, & plumbi instar de-
orsum trahit. Hoc est illud onus, quod
peccator sentiebat, qui dicebat: *a Ini-*
quitates meae supergressae sunt caput meum,
meque; totum cooperuerunt, ac demer-
serunt, & sicut onus graue grauatae sunt
super me, meque oppressum, inclina-
tum, & terram versus incuruatum te-
nent. Et quidem ita oppressam, incli-
natam, humilique afflictam animam hoc
peccati mortalis onus tenet, vt eam ni-
hil aliud cogitare, desiderareque sinat,
quam vilia bona, & vanas delectatio-
nes,

T 5

a Ps. 33. 5.

nes, ac gustus terræ. Cùmque anima sit immortalis, cœlestis, ac diuina, à Deo creata, redempta, ordinataque ad cœlestia, & externa bona, & ad amandū, ac possidendum ipsum Deum, eoque in cœlo fruendum, illa horum omnium oblita, & negligens, tota dies, noctesque occupata est in cogitando, curandoque cibo, potu, vestitu, in acquirendis facultatibus, & honore, in pecunijs, humanisque fauoribus colligendis, in voluptatibus, delicijs, ludis, oblectationibusque venandis. In has temporales, terrenas res totam suam sollicitudinem impendit. Ad quod significandum dicit Deus de tali animâ per Ephraim significatâ, vt notat S. Gregorius, *a* eam esse sicut *subcinericium panem, qui non reuersitur. Sicut namque panis subcinericius super se cinerem portans, partem mundiozem deorsum premit, partemq; superiozem tanto sordidior rem habet, quanto in eâ cinerem tolerat, sic se res habet in animâ, quæ propter*

pecca-

a Osee 7.8. D. Greg. lib. 11. mor. c. 17.

peccatum mortale *super se cineris molem portat*, & pars eius spiritualis, quæ secundum suam naturam, diuinamque ordinationem deberet in cœlum suspicere, *deorsum premitur*, & terram aspicit, itaque perseverat, quamdiu in tam malo statu est, cogitatione, & amore transitorijs terræ rebus affixa. Sic ait S. Augustinus: *Amor immundus peccati inflammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat, & in ima precipitat, atque in profunda demergit.* Et quamvis hæc ingens miseria, summumque malum, ac damnum sit, hîc tamen minimè sistit: tam enim hoc peccati mortalis onus immensum est, ut animam de terrâ faciat usque in inferni profundum descendere. Quemadmodum sanctus amor, quia originem suam habet de cælo, hoc est, à Deo, qui in cœlis habitat, simul atque anima purgata de corpore egreditur, eam momento in cœlum euehit; sic amor peccati, cum originem suam ab inferno, id est, à diabolo, qui in inferno

ferno

ferno est, habeat, quamprimùm anima de corpore excedit, illam puncto temporis in abyssum inferni præcipitat. Vidit Zacharias Propheta amphoram, quod erat certum mensuræ genus, & mulierem *a in medio amphoræ proiectam*; vidit item *massam plumbeam missam in os illius mensuræ*, seu vasis, in quod mulier proiecta fuit; & duas alias mulieres venientes, quæ alas admodum leues, instar venti, habebant, & leuantes amphoram, detulerunt vsque in terram Sennaar. Mulier, quam Propheta vidit, erat impietas, & peccatum mortale, quemadmodum Angelus ei declarauit: Mensura erat poena æterna, quâ Deus peccatum punit, & cui iam inde ab hac vitâ peccator subiectus, ad eamque secundum præsentem iustitiam condemnatus est: Massa plumbea, quæ impietatem operit, significat grauitatem, & pondus peccati, & durationem poenæ: Terra Sennaar, quæ erat campus, in quo Babylon ædificata fuit, representat tri-

a Zach. 7.

kiffi.

flissimas habitationes inferni, quò peccatores à peccatorum suorum pondere deferuntur ad sustinendam, quam merentur, æternam pœnam: Mulieres alatae, quæ impietatem portârunt, significant magnam leuitatem, breuitatemque, cum quâ hæc pœna executioni mandatur. Non est avis, quæ tam leuiter viam suam conficiat, nec ventus, qui tam citò transeat, quanta est celeritas, & breuitas, cum quâ peccator ad infernum descendit portatus à pondere peccati mortalis. Videbis hominem aliquem peccatorem viuũ, & sanum, & ad honores, dignitatesque euectum, totum mundi voluptatibus, ac delicijs deditum, & momento temporis repentinus aliquis casus eum vitâ priuat, moxq; altero momento pondus peccati ipsum in profundum inferni detrahit. Sic Iob impios homines depingit, dicens: *a Subleuati sunt ad honores, ac prosperitates, confortatiq; diuitijs: domus eorum secure: tenent tym-*

T 7

panum,

a Iob. 21. 7.

panum, & citharam, & gaudent ad sonitum: ducunt in bonis dies suos, & in puncto moriuntur, ac secundum corpus quidem in sepulchrum, secundum animam verò ad inferna descendunt. Hoc contingit, & contingit quotidie infinitis peccatoribus, qui imponunt animæ suæ pondus peccati mortalis, ei consentientes, cogitantesque illud alio die per poenitentiam deponere, sed iusto Dei iudicio iam non faciunt, & in illo moriuntur, atque ad æternas poenas descendunt; ut impleatur in eis, quod Ieremias ait: *a* Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino. Unguis, qui corporis humani extremitas est, repræsentat finem vitæ hominis: stylus ferreus est potens sententia Dei, qui permittit peccatum mortale animæ adhærescere usque ad mortem, ut illa se non liberet: & unguis ex adamante, qui lapis nullis ictibus frangi potest, significat durationem peccati, & poenæ, quâ id punietur, non habituram finem. Ita S. Gre-

a Ier. 17. 1.

gorius

gorius declarans hæc verba: *Peccatum Iuda, inquit, in ungue adamantino scriptum legitur, quia culpa Iudaorum per forem Dei sententiam in fine servatur infinito.* Quis hoc tantum pondus non timeat? quis hanc tantam peccati mortalis sarcinam non fugiat? Pondus, quod hominem, dum vivit, rebus terrenis adeò immersum tenet, ut non finat eum ad cœlestes respirare, & post mortem ipsum in æternam damnationem demergit. O quàm iustum, necessariumque est, ut toto illud corde timeamus, omniq̃ue cum diligentia fugiamus! Metaphrastes author est, a S. Arsenium, cum in sua cella sederet, audiuisse supernè vocem dicentem: *Adestum. & ostendam tibi, quomodo se habeant opera hominum; vidisseque ethiopem ligna scindentem, quæ in fascem adeò grandem colligabat, ut cum eum humeris vellet tollere, non posset; & tamen plus lignorum scindens ea ceteris quoque adijciebat, maiusque & gra-*

a *D. Greg. l. 14. mor. c. 25.*

uius

b *Metaphr. Sur. in Iul.*

uius onus faciebat. : Tunc Angelum, qui ducebat eum, illi dixisse: *Hic peccator est, qui multis quidem peccatis grauatur: pro eo autem quod ea deberet reserare pœnitentiâ, alia potius addit, & onus grauius, seque maiori damnationi obnoxium facit.* Magna homini incumbit necessitas exonerandi quamprimû animam suam per veram pœnitentiâ hoc peccati mortalis pondere. Quamdiu enim eam non exonerârit, licet omnia mundi bona, oblectamentaq; habeat, nō possunt hæc veram ei consolationē, quietemq; præstare, cū solus Deus sit, qui veram dat consolationem, ideoque à S. Paulo *Pater misericordiarū, & Deus totius consolationis* vocetur; a Neq; hanc consolationē Deus ijs det, qui in peccato mortali manere volunt, sed illis, qui per pœnitentiam inde exeunt: id quod significauit per Isaiam dicens, *b* venisse se, *vt consolaretur omnes lugentes; &* in Euangelio, *Beati, inquit, c qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Atq; hi sunt afflicti,

a 2. Cor. 1. 3. b Is. 61. 2. c Math. 5.

afflicti, tribulatiq̄ue homines, qui peccata agnoscunt, ac deflent. Si quis homo per terram extensus, gestaret pondus alicuius turris, aut ingentis rupis, tametsi proponerentur ei sapidissimi cibi, præberentur lautissimæ vestes, præciosissimæq̄ue gemmæ, & concentus iucundissimus fieret, tamen nullum inde solatium, nec voluptatem capere posset, donec deoneraretur illo pondere, quod ipsum oppressum, humiliq̄ue afflictum tenet. Sic homo, cuius animæ imensum peccati mortalis pondus incumbit, quamuis omnia mundi bona, honores, commoditatesq̄ue habeat, non potest veram consolationē, voluptatemq̄ue percipere, donec levetur pondere peccati mortalis, quod ipsum per amorem, terræ, vnde ei angustia, doloresq̄ue veniunt, affixum tenet; & eundem impedit, quò minus respiret ad Deum, seque in cœlum, vnde lætitia, & consolatio ei venire debet, sustollat. Abijciamus ergo per pœnitentiam hoc tam malum, ac perniciosum

ciosum

ciosum pondus; quemadmodum nos
 Spiritus sanctus hortatur, per S. Pau-
 lum dicens: *a Deponentes peccatorum,*
quæ animas grauant, pondus, eorumque
occasiones, curramus per patientiam ad
hoc spirituale certamen vitæ Christianæ,
certantes viriliter contra omnia vi-
tia, hostesque animæ, exercentes om-
nes virtutes, & libenter aduersa quæ-
que tolerant, donec vitam propter
Deum ponamus. Ita liberabimus nos
à pœnis, ac damnis, quæ malus amor
peccati mortalis importat, & consolati-
onem, fructumque spirituales, &
æternum, qui ex sancto Dei amore pro-
cedit, consequemur. Hæc est Christi
promissio, dicentis: b Venite ad me om-
nes, qui laboratis, & onerati estis: & ego re-
ficiam vos: Venite ad me per Fidem,
obedientiamque verbi mei, & per pœ-
nitentiam, vitæque mutationem vos,
qui laboratis infirmitatibus, paupertate,
persecutionibus inimicorum, cate-
risque omnibus huius vitæ pœnis, ac
 misc.

a Ad Hebr. 12. 1, b Matth. 12. 28,

miserijs, & qui onerati estis vitijs, ac peccatis, quæ sunt intolerabile onus; nam ego vos labore leuabo, dando vobis in eo consolationem, & fortitudinem, ac virtutem, vt multà cum suavitate, meritoque ipsum perferre possitis, & peccatorum pondere exonerabo vos, eorundem veniam, iustificationis gratiam, gaudium, pacem, lætitiàmque spiritualem vobis concedendo.

Per peccatum mortale finiri numerum mortalium peccatorum, quæ Deus in peccatore tolerare constituit, nec non tempus, quo idem Deus illum expectare decrevit.

CAP. XXXIX.

OMnes res, quæ fuerunt, sunt, & erunt in hoc mundo, cadunt sub diuinam prouidentiam, easque omnes Deus videt, præsentem habet, & disponit, atque in suos fines ordinat: Res, quæ bonæ sunt, quæque aliquod esse, & substantiam habent, non solum videt,